



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opera S. Matris Teresae De Iesu Carmelitarum Discalceatorum et Discalceatarum Fundatricis**

In duas partes distincta

**Teresa <de Jesús>**

**Coloniae Agrippinae, Anno MDCXXVI [erschienen] M.DC.XXVII.**

Illvstrissimo Comiti Ac Domino, D. Stanislao Lvbomirscio, Comiti In Visnicz,  
Svpremo Regni Poloniae Pocillatori, Capitaneo Sandomiriensi, Scepusiensi,  
Bialocerkieuiensi, Dobczycensi, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37974**



ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO,  
**D. STANISLAO**  
LVBOMIRSCIO,  
COMITI IN VISNICZ,

SVPREMO REGNI POLONIAE POCILLA-  
TORI, CAPITANEO SANDOMIRIENSI,  
Scepufienfi, Bialocerkicuienfi, Dobczycentfi, &c.

ILLVSTRISSE DOMINE

**Q**uoniam non Poloniam suntaxat, gentis  
longè excellentissima domicilium il-  
lud nobilissimum, sed Germaniam  
simul nostram vniuersam, summo  
prorsus beneficio nuper affeceris, (vn-  
de & statim ingente nominis tui famâ compleui-  
sti ubiq; omnia,) gratias tibi, HEROS INCOMPA-  
RABILIS, non habere amplius apud animû, (quod  
equidem nostrates boni faciunt certatim,) ve-  
rum agere in super, edito publicè venerationis in-  
dicio, pridem est quod anhelò maximè. Res abs te  
gesta, vt dixi, compertissima longè latequæ est,  
iamq; adeò & penes nos ab Annalium conditori-  
bus diligenter subnotata, vt nec minùs deinceps

a 2 decan-

S.  
Theresia

Opera

N VII  
156



EPISTOLA

decantetur, quemadmodum postulat, eternum.  
 Non tempestas iocularis quapiã ditionibus istis  
 vestris cultissimis imminere, sed ruina, iam certò  
 quasi parata, ingruere videri haud immeritò po-  
 terat, accenso ab infernalibus Furijs inflaman-  
 tissimam bellandi libidinem, ac rabiem, quanta  
 ferè nunquam audita de quiquam, OSMANO,  
 tyranno illo tumidissimo iuxta ac immensum va-  
 lido. Ita enim hic prodijt sane, ut sexcenties mille  
 armatos, & eos quidem ex Gracis, Syris, Medis,  
 Caduseis, Egyptijs, Elimais, Scythijs, Rascijs, Dal-  
 matis, Croatis, Hungaris, Transylvanis, Mol-  
 dauis, Valachis, sceptroq; suo barbaro subiectis po-  
 pulis ceteris, haud persunctoriè delectos, eduxerit  
 in aciem, tormenta vero anea formidanda mag-  
 nitudinis vexerit quadringenta, præter minora,  
 quorum iniri numerus haudquaquam potuit:  
 omnia deniq; ipsemet coràm exactissimè & apta-  
 uerit & per legionum tribunos ac duces vaserrim-  
 mos, audacissimos truculentissimosq; moderatus  
 fuerit. Quis non exhorresceret, inquam, ad malo-  
 rum Oceanũ illum, cataraçtis & aggeribus iam  
 iam perrumpendis, inundaturientem terras im-  
 merentissimas, aboliturientemq; decus mortaliũ  
 istud eximium? præsertim & vix decimam partẽ  
 equan-



## DEDICATORIA.

equante vestra, qua in aduersum suppetebat,  
 manu militari, & conflictante in super cū luc epi-  
 demia, miserisq; id genus pluribus. quin omne  
 malum, e septentrione, inferre pariter conāte ini-  
 micā Scandiā. Sed reductis in angusta suis, mirè,  
 vt consuevit, opem tulit. Omnipotentis Dei beni-  
 gnitas: adeoq; horroris etiam expertes eos, vt ut  
 stantes modo cen in precipiti, reddidit; in tantilli  
 nempe Exercitus illius Imperatorem suscitato  
 per SIGISMVNDVM Regem (cui merito venerabis-  
 dus assurgit orbis terrarum,) ac patrissantem ubi-  
 que Principem SIGISMVNDVM VLADISLAVM (cu-  
 ius velos vultumq; spiritus diuiniore indicē ful-  
 gidissimum, conspicari hic locorum ab eo tempo-  
 re nobis contigisse, in magna felicitatis parte col-  
 locamus) natalium virtutum, facinorumq; glo-  
 riā verè Illustrissimo STANISLAO LVBO MIR-  
 SCIO nostro. Et sic reuera est. Neq; enim nisi ca-  
 litus tibi sic imposita ea moles; sicuti neque tu, nisi  
 inde, redditus vnā scientissimus iuxta & po-  
 tentissimus tum inflammare porro omnes tum  
 prae intrepidus, (absit etenim vt horum fuerit  
 inopia in tam alacri semper & bellicosa, totiesque  
 victrice gente,) imo ipsam illam tam immanem  
 calamitatem etiam penitus propulsare. Quod &  
 hercle praestitisti, sicut fortissime, ita felicissime,

S.  
Theresia

Opera

N. VI  
156



DEDICATORIA.

Thracem quippe eum (qui regum & populorum, quotquot sunt, domitorem, ac flagellum salutauerat semetipsum paulò antè, leuatis in sublime cristis, proclamaueratq; heriliter,) CARACASSO alijsq; Basis, ac prater eà plusquam centies mille caesis, usque adeò frangens impetu subito, ac deiciens, ut ipse rebus confestim desperatis, pacem supplex precatus, campumq; & quo Nestrum strauerat, pontem insignem (illic namque à vobis de summâ rei dimicatum,) & palmam denique omnem tibi cedens, Byzantium suum quanto-cyus repetierit; summo etiam suorum ludibrio, cum fremitu simul & sibilis iam insultantium tristanti afflicta mœrore hypochondria, atque ingeminanti stolidum illud, Non putaram. Quæ quum ita sint, annon plurimum tibi debeant Polonia ciues, COMES MAGNANIME ET INVICTE. Hoc sicuti nemo negauerit facile, ita vel percontari velle, quidnam redundauerit inde in Germanos, id verò si non malignitatem siue tetricitatem, certè ruditatem nimis absurdam arguat. Quum enim & vicini simus (hoc est, pariete alterutro ardente periclitantes utrobique,) & à pijs-  
simis ac sibi inter se coniunctissimis Principibus dependentes, cum ijsdem & stemus & cadamus,

FER-



## DEDICATORIA.

(FERDINANDVM hic nostrum augustissimum  
 inuuo, ut istuc SIGISMVNDVM vestrum iti-  
 dem laudatissimum,) & quod caput est, in eadem  
 sacrosanctâ Republicâ, sub Vicario Saluatoris  
 mundi generali, ciuitate donati, & Fidei, Spei,  
 atque Amoris nexu intimè copulati militemus:  
 neq; non unice indidem communis nobis hostis  
 iuratusque sit, Mahumetis, idoli fœdissimi, satel-  
 les iste nefandus; quis vel paululum saltem peri-  
 tus rerum ignoret, multis nominibus plurimumq;  
 partibus etiam hisce nostris profuisse ac prodesse  
 tuum istum tam egregium & memorabilem tri-  
 umphum? Profectò tantò promptius lubentiusq;  
 id agnoscimus, quantò minore negotio (ni in mu-  
 rum abeneum tua nobis autoritas, prudentia, vi-  
 gilantia, dexterrimaq; in milite tractando genero-  
 sitas data fuisset) magisq; impunè sibi in prædam  
 sortiri seriùs ocyùs nos valuisset Orienti incubans  
 draco ille: utpote, intestinis ibi tum conuulsi-  
 bus exhausto propemodum Romani Imperij ro-  
 bore, accitus per cuniculos à perduellibus Eccle-  
 sia (quos & autores unicos habet ea ipsa ciuili-  
 um turbarum Ilias,) ut sibi, rem Catholicam domi  
 strenuè atterentibus, manum per anfractus por-  
 rigeret è longinquo. quæ sanè etiam occasio seu o-  
 portu-

S.

Theresia

Opera

N. VII

156



portunitas effecit, ut una cum Polonia Teutonas, licet minus id praeseferens, hianti rictui destinauerit: imò spe iam deglutierit, dum expeditioni tam vasta penitus atque operosa animum initio adyceret; (ò satricem omnis pessimi Haresin!) Postquam igitur ita insigniter de nobis meritus es, HEROVM CORDATISSIME, benignissimeq, gratias, quas pridem à me tibi meditatas dixi, nunc ago tandē, si non, quē forsā alius requirat, solenni verborum apparatu, saltem, quā par est, profunda animi inclinatione ad honorandam splendoris tui magnitudinem. At vndenam officium hoc meum ita serum? Dicam, quia dicendum est. Non decoris obliuio sic me lentum fecit, sed in hunc usque diem penuria muneris, te digni, sine quo sistere me tibi, religioni ducebam. Quo nunc demum inuento, cunctandi mox finem facere oportuit. Estq, id adeò, quod humilime hic, manum tuam deosculatus, offero, volumen scriptorum TERESÆ, sanctissima diuinissimaq, Virginis, ex Hispanico iā primulum appositè nitideq, Latinum, ut legi deinceps à toto mundo possit. Affirmaui confidenter, videri mihi donarium te dignum: nec est cur mutem sententiam, in quā ipse mecum eris, scio. Quum enim precibus à Diuā  
 illa



## DEDICATORIA.

illa ad Altissimum fufis, de OSMAÑO quam diximus victoriam, haud immeritò adscribas: quippe reportatam statim atque sanctè voueras, fore ut si, contra eum pugnando, expectationi & optatis tuis ciuiumque responderet euentus, conderes in tuo fundo pro CARMELITIS TERESANIS (quod & postmodum condidisti structura nobili commodaque) Asceterium, Deo accuratissimè colendo & exorando dicandum: quidni eiusdem S. MATRIS, ita impensè tibi honorata, libri & scripta, omni cœlesti sapientia ad miraculum usque plena, conuenientissimè sub auspicio nominis tui prodeant in usum & gloriam Sanctæ Ecclesiæ uniuersæ? Non, inquam, inficias hoc ibis; verum gratulabere tibi potius eo nomine, prout confido. Atque ita neque dedignaberis vultu sereno suscipere à me, procuratam de meo, interpretis (quem extenuare haud debeo) typographique ministram opellam, sine qua tibi nihil eius à me nuncupari potuisset. Si tamen orandus es, oro ut clementissimè conatus meos interpreteris, non tam illorum pretiū respiciens, quàm animi mei, virtutes tuas humilima obseruantia admirantis ac depradicantis, affectum sincerissimum:

b

qui

S.  
Theresia

Opera

N. VI  
156



EPISTOLA

qui certè unicus fecit, ut longè hinc in Poloniam tibi editionem, & alias nemini, inscriptum iuerim. Spondeo contra, sollicitaturum me sedulo aures immortalis DEI, ut saltem vita in terris prolixa tibi obtingat. Sic enim non deerit unquam ansa gratulandi porro de te, non dicam profapia tua, (quam nobilitate antiquissima insignè, & magis in Parente tuo exornatam, omni merito, ab Casare RVDOLPHO II Tu cum primis honoratissimã ulterius gestis tuis plurimis reddidisti,) sed Polonia, imò Ecclesia uniuersa. S. TERESAM enim eiusque familiam (ò vita Angelica Sodalitium!) honorare & magnificare semper, adeoque excellenti pietate erga DEVM & omnes Cœlites prælucere mortalibus alijs perges absque dubio. Et sic non modo ex voto Primorum Patriæ præclarissimè hæctenus peregeris omnia in Valachiã, Moldauiã, Moscouiã & Hungariæ finibus, sed maiora adhuc pollicebitur sibi de te Orbis Christianus; unde non poteris non adhuc ascendere in terris altius, & capere illic præmia pietatis longè luculentiora, si id quidem desideras: qui potissimum desideras (scio) aternis ab obitu gaudijs perfrui in vita altera. Expleatur, ò  
exple-



DEDICATORIA.

*expleatur desiderium hoc tuum, ILLUSTRIS-*  
*ME DOMINE, à Patre luminum: cui soli*  
*honor & gloria in secula seculorum. Amen.*  
Coloniæ, Pridie S. Michaelis Archangeli, MDCCXXVI.

Illustrissimi Comitis, Domini mei  
clementissimi

Clientis & seruus  
humilimus,

IOANNES KINCKIUS  
Ciuis & Bibliopola  
Coloniensis.

B 2

APPRO.

S.  
Theresia

Opera

N VII

156